

hil præmittentis series digesta videatur: tacitis enim quæ non vult dicere, sic ea quæ vult dicere illis quæ dicebat adjungit, ut ipsa continuo sequi videantur; sed cum alter dicit ea

quæ alter tacuit, diligenter ordo consideratus indicat locum ubi ea potuerit à quo prætermissa sunt, transiliri.

CAPUT III.

(a) **I**N diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum. Hic est enim de quo dicitur est per Elaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.

(b) Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Esca autem ejus erat locusta, & mel silvestre.

(c) Tunc exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem, & baptizabantur ab eo in Jordane, confidentes peccata sua.

(d) Videns autem multos pharisæorum, & sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ: & ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

(e) Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni, cujus ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum; paleas autem comburet igni inextinguibili.

(f) Tunc venit Jesus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari; & tu venis ad me? Respondens autem Jesus dixit ei: Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum.

(g) Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei caeli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.

(h) Et ecce vox de caelis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

(a) **C**hrystostomus super Matth. (hom. 3. in oper. imperf.) Sol appropians antequam appareat, mittit radios suos, & facit albescere orientem, ut præcedens auro adventum diei demonstraret: sic Dominus natus in mundo, antequam appareat, per doctrinam Spiritus sui fulgore transmissio illuminavit Joannem, ut præcedens ille adventum annuntiet Salvatoris: & ideo post ortum Christi enarratum, doctrinam ejus enarraturus Evangelista, & baptismum, in quo testimonium habuit, de præcurfore, & Baptista præmittit, dicens: *In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto. Remigius.* His autem verbis, beati Joannis non solum tempus, & locum, & personam, sed etiam officium, & studium demonstrat. Tempus generale demonstrat cum dicit: *In diebus autem illis.* Augustinus de Cons. Evang. (Lib. 2. cap. 6.) Hoc autem tempus Lucas per terrenas potestates expressit cum dixit (cap. 3.) „Anno „quintodecimo.“ Sed intelligere debemus Mattheum cum dixerit: *In diebus illis*, in multo longiori spatio accipi voluisse. Mox enim ut narravit regressum de Ægypto Christum, quod

utique tempore pueritiæ, vel infantie factum est, ut possit stare quod Lucas de illo cum duodecim esset annorum narravit, continuo intulit: *In diebus autem illis*, non utique pueritiæ tantum illius dies insinuans, sed omnes dies ab ejus nativitate usque quo prædicare cepit Joannes, Remigius. Personam ostendit cum dicit: *Venit Joannes*; id est, manifestavit se, qui tandiu prius latuerat, Chryostomus in hom. Sed quare necessarium fuit ut Joannes Christum præveniret operum testimonio Christi in prædicante? Primo quidem ut hinc Christi dignitatem discas, quod sicut Pater, ita & ipse Prophetas habet, secundum illud Zachariæ (Luc. 1.) „Et tu puer Propheta Altissimi mi vocaberis.“ Deinde ut nullam causam inverecundiæ Judæis relinquat, quod & ipse demonstrat dicens (Luc. 7.) „Venit Joannes „neque manducans, neque bibens; & dicunt, „Dæmonium habet. Venit Filius hominis „manducans, & bibens; & dicunt, „Ecce „homo edax.“ Sed & aliter necessarium erat ab alio prius dici quæ de Christo erant, & non ab ipso: alias Judæi quid dixissent, qui post testimonium Joannis dixerunt (Joan. 8.) „Tu „tes-

„testimonium perhibes de teipso? Testimonium tuum non est verum.“ Remigius. Officium subjungit cum dicit, *Baptista (a)* in quo Domini viam præparavit: nisi enim baptizari homines consueverent, baptismum Christi abhorrent. (b) Studium ostendit, cum ait: *Prædicans. Rabbanus.* Quia etiam Christus prædicaturus erat: postquam enim visum fuit idoneum tempus, scilicet circa triginta annos, incipiens prædicationem suam; viam Domino præparavit. Remigius. Locum subjungit dicens: *In deserto Judææ.* (c) *Maximus.* Ubi ad prædicationem ejus nec insolens turba perferret, nec infidelis auditor rediret; sed hi tantum audire possent qui prædicationem cura divini cultus expererent. Hieronymus sup. Elaiam (Lib. 11. in exp. cap. 40.) Vel in hoc considerandum est quod salutare Dei, & gloria Domini non prædicatur in Hierosalem, sed in solitudine Ecclesie, & in deserta gentium multitudine. Hilarius (cap. 2. in Matth.) Vel etiam ad Judæam venit desertam Dei frequentatione, non populi, ut prædicationis locus, eorum quibus prædicatio erat missa, solitudinem testaretur. Glossa (ord. hoc loco.) Vel typpi desertum significat vitam à mundi illecebris segregatam, quæ pœnitentibus competit. Augustinus. (d) in Lib. de Utilitate pœnitentiæ (sub initio.) Nisi autem pœnitentem aliquem vitæ veteris, novam non potest inchoare. Hilarius (ut supra.) Et ideo pœnitentiam, regno caelorum appropinquante, pronuntiat, per quam est reditus ab errore, recursus à crimine, & post vitorum pudorem professio desinendi; dicens: *Pœnitentiam agite.* Chryostomus super Matth. (hom. 3. in opere imperf.) Ubi manifestat in ipso principio, quia benigni Regis est nuntius: non enim peccatoribus minas intendebat; sed indulgentiam promittebat. Solent Reges nato sibi filio, indulgentiam in regno suo donare; sed ante transmittunt acerbissimos exactores. Deus autem nato sibi filio, volens donare indulgentiam peccatorum; præmisit quasi exactorem exigentem, & dicentem: *Pœnitentiam agite.* O exactio quæ non facit pauperes, sed divites reddit! Nam cum quis debitum justitiæ suæ reddiderit, Deo nihil præstat, sed sibi lucrum suæ salutis acquirit. Pœnitentia enim (1) cor emundat, sensus illuminat, & ad susceptionem Christi præparat humana præcordia: unde subjungit: *Appropinquabit enim regnum caelorum.* Hieronymus (sup. S. Thom. Oper. Tom. VIII.)

per Matth. cap. 3.) Primus Baptista Joannes regnum caelorum prædicat, ut præcursor Domini hoc honoretur privilegio. Chryostomus in hom. (10. prope medium.) Ideoque quod nunquam Judæi audierant, neque etiam à Prophetis caelos, & regnum quod ibi est, prædicat, & nihil de cætero de terra dicit. Sic ergo ex novitate eorum quæ dicuntur erigit, eos ad quærendum eum qui prædicatur. Remigius. Regnum autem caelorum quatuor modis dicitur: nempe Christus, secundum illud (Luc. 7.) „Regnum Dei intra vos est:“ Sancta Scriptura, secundum illud (infra 21.) *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus:* sancta Ecclesia, secundum illud (ibid. 25.) *Simile est regnum caelorum decem virginibus:* supernum solum, secundum illud (ibid. 8.) *Multi venient ab oriente, & occidente, & recumbent in regno caelorum:* & hoc totum hic potest intelligi. Glossa (ord. super illud: *Appropinquavit enim regnum caelorum.*) Dicit autem: *Appropinquavit enim regnum caelorum:* quia nisi appropinquaret, nemo redire posset: quia infirmi, & cæci via, quæ est Christus, carebant. Augustinus de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 12.) Hæc autem verba Joannis, alii Evangelistæ prætermiserunt. Jam vero quod sequitur: *Hic est qui dicitur est per Elaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Rectas facite semitas ejus:* ambigue positum est, nec elucet utrum ex persona sua Evangelista commemoraverit, an (2) adhuc verba ejusdem Joannis secutus adjunxerit, ut totum hoc Joannes dixisse intelligatur: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum caelorum. Hic est enim de quo dicitur est per Elaiam Prophetam.* Neque enim hoc movere (3) debet, quia non ait. Ego sum, sed *Hic est:* nam & Matthæus dixit (infra 9.) *Invenit hominem sedentem in telonio;* & non dixit, *Invenit me.* Quod si ita est, non est mirum, si & interrogatus quid diceret de seipso, sicut narrat Joannes Evangelista (cap. 1.) respondit: *ego vox clamantis in deserto.* Gregorius in hom. (7. in Evang. super „Ego vox:“ Scitur autem, quia unigenitus Filius Verbum Patris vocatur, secundum illud (Joan. 1.) „In principio erat Verbum.“ Ex ipsa autem nostra locutione cognoscimus: quia vox sonat, ut verbum possit audiri. Adventum itaque Domini Joannes præcurrens vox dicitur, quia per ejus (4) ministerium Patris Verbum ab hominibus auditur.

(1) Al. cor eorum dat. (2) Al. ad hæc. (3) Al. dicitur. (4) Al. mysterium.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Glossa (b) Remigius. (c) Nempe Maximus Taurinensis ferm. 1. de S. Joannis præcursoris nativitate circa medium. (d) Sive in Lib. I. homiliarum hom. ultima, quæ de utilitate atque necessitate pœnitentiæ inscribitur, & quam etiam Beda I. ad Corinthi. 5. & 6. vocat Librum de pœnitentiâ; ut hic. Extat & aliquid simile hom. 27. ejusdem Libri homiliarum aliis verbis.

Chrysoſtomus ſuper *Matth.* (hom. 3. in opere imperf.) Vox etiam eſt ſonus confuſus, nulum ſecreterum cordis offendens, ſed hoc tantummodo ſignificans quia vult aliquid dicere ille qui clamat; verbum autem eſt ſermo myſterium cordis aperiens. Ad hæc, vox inter homines, & animalia communis eſt; verbum autem eſt hominum tantum. Ideo ergo *Joannes* dictus eſt vox, non verbum, quia per eum Deus ſua conſilia non demonſtravit, ſed hoc ſolum quod Deus aliquid facere in hominibus meditabatur; poſtea autem per Filium ſuum pleniffime myſterium ſuæ voluntatis aperuit. *Rabbanus* (ſuper illud: *Joannes habebat veſtimentum.*) Qui recte vox clamantis ob fortitudinem prædicationis dicitur. Tribus autem modis clamor accidit; hoc eſt, ſi longe poſitus eſt cui loquatur, ſi furdus, ſi per indignationem: & hæc humano generi acciderunt. *Gloſſa* (ord. ſuper illud: *Vox clamantis.*) Eſt igitur *Joannes* quaſi vox Verbi clamantis: Verbum enim clamat in voce, id eſt *Chriſtus* in *Joanne*. *Beda* (a) Sicut etiam clamavit in omnibus qui à principio aliquid divinitus dixerunt; & tamen iſte ſolus eſt vox: quia per eum præſens Verbum oſtenditur, quod alii longe nuntiaverunt. *Gregorius* (hom. 7. in *Evang.*) Ipſe autem *Joannes* eſt clamans in deſerto, quia dereliſta ac deſtituta *Judææ* ſolatio Redemptoris annuntiat. *Remigius*. Quantum autem ad hiſtoriam attinet, in deſerto clamabat, quia remotus erat à turbis *Judæorum*. Quid autem clamet; inſinuat cum ſubjungit: *Parate viam Domini.* *Chryſoſtomus* ſuper *Matth.* (hom. 3. in opere imperf. prope princ.) Sicut enim magno Regi in expeditionem venturo præparatorum præcedunt, qui ſordida abluunt, dirupta componunt; ſic & Dominum noſtrum præceſſit *Joannes*, qui ab humanis cordibus penitentia ſcopis peccatorum ſordes eieceret, & quæ diſſipata fuerant, ſpiritualium præceptorum ordinatione componeret. *Gregorius* in hom. (20. in *Evang.* ſuper illud: *Parate viam Domini.*) Omnis autem qui fidem rectam, & bona opera prædicat, Domino ad corda audientium viam parat, rectas Domino ſemitas facit, dum mundas in animo cogitationes per ſermonem bonæ prædicationis format. *Gloſſa* (interl.) Vel fides eſt via qua verbum ad cor deſcendit; cum mores in melius mutantur, ſunt ſemitæ rectæ.

(b) *Chryſoſtomus* ſuper *Matth.* (hom. 3. in opere imperf. prope medium.) Poſtquam

oſtendit quia ipſe eſt vox clamantis in deſerto, prudenter *Evangeliſta* ſubjungit: *Ipſe autem Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum;* in quo oſtenditur quæ fit vita ipſius: nam ipſe quidem teſtificabatur de *Chriſto*, vita autem ejus de ipſo. Nemo autem poteſt eſſe alterius teſtis idoneus, (1) niſi prius fuerit ſuus. *Hilarius* (can. 2. ſuper *Matth.* ſuper illud: *Ipſe autem Joannes*) Fuerant enim prædicanti *Joanni* & locus opportuniſſimus, & veſtitus utiliſſimus, & cibus aptiſſimus. *Hieronymus* (ſuper illud: *Ipſe autem Joannes*). De pilis enim camelorum habebat veſtimentum, non de lana. Aliud auſteræ veſtis indicium eſt, aliud luxuriæ molliſſimæ. *Chryſoſtomus* ſuper *Matth.* (hom. 3. in opere imperf.) Servis autem Dei non convenit habere veſtimentum ad ſpeciem (2) viſionis, vel ad carnis delectamentum, ſed tantum ad regumentum nuditatis. Habebat enim *Joannes* veſtem non mollem, neque delicatam, ſed cilicinam, gravem, & aſperam, & contentem corpus potius quam foventem, ut de virtute animæ ejus, ipſe habitus corporis loqueretur. Sequitur: *Et zonam pelliceam circa lumbos ſuos.* Conſuetudo enim erat apud *Judæos* ut zonis laneis uterentur; zona iſte quaſi durius aliquid facere volens, idem pellicea cingebatur. *Hieronymus* (ſuper illud: *Joannes habebat veſtimentum.*) Porro quod ſequitur, *Et cæcis erat luſus, & mei ſilveſtre,* habitator ſolitudo nis congruum eſt, ut non deliciis ciborum, ſed neceſſitates humane carnis expleret. *Rabbanus*. Tenui victu contentus, & ex minutis volatilibus, & melle invento in truncis arborum. In dictis autem (3) *Arnulphi Galliarum* *Epifcopi* repetimus minimum genus locuſtarum fuiſſe in deſerto *Judææ*, quæ corporculis in modum digiti manus exilibus, & brevibus in herbis facile capiuntur, coctaque in oleo pauperem præbent guſtum. Similiter præſtat, in eodem deſerto eſſe arbores habentes lata folia, & rotunda, lacte, caloris, & mellitiſſi ſaporis, quæ natura fragilia manibus fricantur, & eduntur; & hoc eſt quod mel ſilveſtre dicitur. *Remigius*. Sub hoc autem habitu veſtimento rum, & vilitate ciborum, oſtendit ſe peccata totius generis humani deſerre. *Rabbanus* (ſuper illud: *Ipſe autem Joannes*). Poteſt & habitus, & guſtus ejus, qualitatem internæ converſationis exprimere: nam aſterioribus utebatur indumentis, quia vitam peccantium inceperat. *Hieronymus* (ſuper hæc verba.) Zona quidem pellicea, qua cinctus fuit & *Eliaſ*,

(1) *Al.* niſi fuerit fidelis: item, niſi prior fuerit, &c. (2) *Al.* deſt viſionis, (3) *P.* Nicolai habet *Arnulphi ex Beda.* Ex edit. P. Nicol. (a) Non ſic expreſſe *Beda*, ſed ſubindicat in hunc locum. Habet autem expreſſe *Gloſſa* ſuper illud cap. 4. Exinde copit *Ieſus* prædicare, nullius nomen præſertens; nec alibi occurrit ſub his verbis.

mortificationis eſt indicium. *Rabbanus* (ſuper illud: *Ipſe autem Joannes*). Locuſtas, & mel ſilveſtre edebat; quia dulcius ſapiebat turbis prædicatione ejus; ſed citius ſinem forſita eſt: in melle enim deleedo, in locuſtis eſt alacer volatus, ſed cito deciduus. *Remigius*. Per *Joannem* autem, qui Dei gratia interpretatur, ſignificatur *Chriſtus*, qui mundo gratiam attulit; per veſtimentum illius designatur *Eccleſia* Gentium. *Hilarius* (can. 2. in *Matth.*) Cum exuviis immundarum pecudum, quibus Gentiles pares exiſtimantur, *Chriſti* prædicator induitur, ſiſque ſanctificatum habitu prophetali quicquid in eis vel inutile fuerat, vel ſordidum. Zone autem præcinctio, efficax in omne opus bonum eſt apparatus, ut ad omne miniſterium *Chriſti* ſimul accincti. In eſum etiam eligantur locuſtæ fugaces hominum, & ad omnem adventum noſtri ſenſus evolantes; nos ſcilicet, qui ab omni ſermone, & congreſſu ipſis quibuſdam corporis ſaltibus eſſerebamur voluntate vagi, in operibus inutiles, in verbis queruli, ſede peregrini, nunc ſumus ſanctorum alimonia, & ſatisfactas *Prophetarum* electi, ſimul cum melle ſilveſtri, dulciſſimum ex nobis cibum non ex alveariis legis, ſed ex truncis ſilveſtrium arborum præbituri. *Chryſoſtomus* ſuper *Matth.* (hom. 3. in opere imperf. ante med.) Converſatione *Joannis* eſt poſita, convenienter ſubjungit: *Tunc exibat ad eum*; amplius enim reſonabat converſatio vite ejus in eremo, quam vox clamoris ipſius. *Chryſoſtomus* in hom. (10. à medio.) Erat enim mirabile in humano corpore tantam patientiam videre; quod denique & *Judæos* magis attrahiebat, magnum *Elia* in eo videntes. Conſerebat autem ad ſtuporem quod dereliquerat eos gratia *Prophetarum*, & poſt longum tempus reverſa videbatur ad eos. Prædicationis etiam modus immutatus ad id proderat: nihil enim aſſuetorum apud alios *Prophetas* audiebant, puta prælia, & victorias *Babylonicas*, & *Perſicas*; ſed cælos, & quidem illic regnum, & ſupplicium gehennæ. Dicit autem: *Tunc exibat ad eum Hieroſolyma, & omnis Judæa, & omnis regio Jordanem, & baptizabantur ab eo in Jordane.* *Gloſſa* (interl. ſuper illud: *Baptizabantur*). *Baptiſmo* præcurrente, non peccata dimittente. *Remigius*. *Baptiſmus* enim *Joannis* figuram gerebat *catechumenorum*; nam ſicut modo catechizantur pueri, ut digni ſiant ſacramento *Baptiſmatis*; ita *Joannes* baptizabat, uti baptizati ab eo, poſtea devote vivendo digni fierent accedere ad *Chriſti* *Baptiſmum*. In *Jordane*

autem baptizabat; ut ibi aperiretur janua regni cæleſtis ubi datus eſt aditus filiis *Iſrael* terram promiſſionis intrandi. Sequitur: *Confitentes peccata ſua.* *Chryſoſtomus* ſuper *Matth.* (hom. 3. in opere imperf.) Ad comparationem enim ſanctitatis *Joannis* quis poterat arbitrarî ſe juſtum? Sicut enim veſtis candida ſi fuerit poſita juxta nivem, ad comparationem nivis ſordida invenietur; ſic ad comparationem *Joannis*, omnis homo videbatur immundus; & ideo peccata ſua conſitebantur. *Confefſio* autem peccatorum teſtimonium eſt ſcientiæ timentis Deum. Perfectus enim timor ſolvit omnem pudorem. Illic autem turpitudine conſeſſionis aſpicitur ubi futuri iudicii poena non creditur. Et quia ipſum deubefecere poena eſt gravis; ideo jubet nos *Chriſtus* conſiteri peccata noſtra, ut yrecundiam patiamur pro poena; nam & hoc ipſum pars iudicii eſt. *Rabbanus* (ſuper illud: *Tunc exibat ad eum*). Bene autem qui baptizandi erant, exire ad *Prophetam* dicuntur; quia niſi quis ab inſimilitate recedat, pompæ diaboli, ac mundi illecebris abrenuntiet, *Baptiſmum* ſalubre conſequi non poterit. Bene autem in *Jordane*, qui deſcentia eorum dicitur, baptizantur; quia de ſurberbia vite ad humilitatem veræ conſeſſionis deſcenderant. Exemplum autem jam tunc conſtitendi peccata, ac meliorem vitam promittendi *Baptiſmum* dabatur. *Gregorius* (a) in *Pſalterio* (Lib. 3. cap. 1.) Pro qualitate audientium formari debet ſermo doctorum, ut ad ſua ſingulis congruat, & tamen à communis ædificationis arce numquam recedat. *Gloſſa*. Unde neceſſe fuit ut poſt doctrinam quam *Joannes* turbis tradiderat, *Evangeliſta* etiam illius doctrinam faceret mentionem quæ inſtruxit eos, qui provectiores videbantur; & ideo dicit: *Videns autem multos phariſæorum, & ſadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum.* *Iſidorus* in *Lib. Etymolog.* (8. cap. 48.) *Phariſæi*, & *Sadducæi* inter ſe contrarii ſunt; nam *Phariſæi* ex *Hebræo* in *Latinum* interpretantur *juſti*, eo quod traditionum, & obſervationum juſtitiam præferunt; unde *diviti* vocantur à *pepulo* quaſi per juſtitiam. *Sadducæi* interpretantur *juſti*; vendicant enim ſibi quod non ſunt, corporum reſurrexerunt negant, & aſſumam cum corpore interire prædicant. Hi tantum quinque libros legis recipiunt. *Prophetarum* vaticinia reſpiciunt. *Gloſſa* (ord. ſuper his verbis.) Hæc ergo qui inter *Judæos* majores videbantur, videns *Joannes* ad *Baptiſmum* ſuum venire, dixit eis: *Progenies viperarum, quis vobis demonſtra-*

bit
EX EDIT. P. NICOL. (a) Sive Libro de cura paſtorali part. 3. in prologo, ut & iterum *Lib. 30. Moral. cap. 4. ſuper Job 33.* Quis dedit gallo intelligentiam?

bit fugere à ventura ira? Remigius. Conſuetudo Scripturarum eſt ab imitatione operum nomina imponere, ſecundum illud Ezech. 16. „ Pater „ tuus Amorrhæus: „ ſic & iſti ab imitatione viperarum; progenies viperarum dicuntur. Chryſoſtomus ſuper Matth. (hom. 3. in opere imperf. ante medium.) Sicut enim artiſcioſus medicus, ſi viderit ægrotantis colorem, intelligit ſpeciem paſſionis; ſic Joannes venientium ad ſe phariſæorum pravæ cogitationes intellexit: forſitan enim apud ſe cogitaverunt: Imus, & conſitemur peccata noſtra; nullum laborem nobis imponit; baptizemur, & conſequamur indulgentiam peccatorum. Inſipientes, numquid facta digeſtione impuritati, non eſt neceſſaria ſumptio medicinæ? Sic multa diligentia neceſſaria eſt homini poſt confeſſionem, & baſiſmum, ut vulnus peccatorum perfecte fanetur: ideo dicit, Progenies viperarum. Natura enim viperarum eſt, quod ſtatim cum morderit viperam, currit ad aquam; quam ſi non invenerit, moritur; ideo iſtos dicebat progeniem viperarum, quia peccata mortifera committentes curebant ad baſiſmum, ut ſicut viperæ, per aquam tantum pericula mortis evaderent. Item viperarum natura eſt rumpere viſcera matrum ſuarum, & filii naſci. Quoniam ergo Judæi aſidue perfequentes Prophetas corruerunt matrem ſuam ſynagogam, ideo progenies viperarum nuncupantur. Item viperæ à foris ſpecioſæ ſunt, & quaſi pictæ, intus autem veneno repletæ; ita & iſti pulchritudine ſanctitatis offendeant in vultu. Remigius. Cum ergo dicitur: Quis demonſtrabit vobis fugere à ventura ira? ſubauditur, niſi Deus. Chryſoſtomus ſuper Matth. (hom. 3. in opere imperf.) Vel quis vobis demonſtravit? Num Eſaias Prophetæ? Abſit: ſi enim ipſe vos docuiſſet, non ſpem in aqua poneretis tantum, ſed etiam in operibus bonis: ille enim dicit cap. 1. „ Lava „ mini, & mundi eſtote; auferete nequitiam ab „ animabus veſtris, diſcite bene facere. „ Numquid etiam David dicens Pfalm. 1. „ Lavabis „ me, & ſuper nivem dealbabor? „ Abſit: ille enim ſic dicit poſtea: „ Sacriſcium Deo ſpiri „ tus contribulatus. „ Si ergo eſſetis diſcipuli David; cum gemitu ad baſiſmum veniretis. Remigius. Si vero quis demonſtrabit ſub futuro legatur tempore, hic eſt ſenſus: Quis doctor, quis prædicator dabit vobis conſilium ut poſſitis evadere itam æternæ damnationis? Auguſtinus in Lib. de Civ. Dei (9. cap. §. in fine.) Deus autem propter quendam operum ſimilitudinem, non propter affectionum infirmitatem,

ſecundum Scripturas, irascitur, nec tamen ulla paſſione turbatur: hoc enim verbum, vindictæ uſurpavit effectus, non ille turbulenti affectus. Si ergo vultis eſſe fugere, facite dignum fructum poenitentia. Gregorius in hom. (20. in Evang. ante ſin. aliquantulum.) In quibus verbis notandum eſt, quod non ſolum præ poenitentia, ſed dignos poenitentia admonet eſſe faciendos. Sciendum enim eſt, quia quiſquis illicita nulla commiſit, huic jure conceditur ut licitis utatur; at ſi quis in culpam lapſus eſt, tanto à ſe debet licita abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetrare. Unuſcujuſque ergo conſcientia convenitur, ut tanto majora quærat bonorum operum luca per poenitentiam, quanto graviora ſibi intulerit damna per culpam. Sed Judæi de generis nobilitate glorientes, idcirco ſe agnoscere peccatores volebant, quia de Abraham ſtirpe deſcenderant; & ideo eis recte dicitur: Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Chryſoſtomus in hom. (10.) Hæc autem dixit, non prohibens illos dicere ex illo ſe eſſe; ſed prohibet in hoc conſidere, virtuti animæ non inſiſtentes. Chryſoſtomus ſuper Mat. (hom. 3. in opere imperf. circ. medium.) Quid enim prodeſt ei quem fordidat mores, generatio clara? Aut quid nocet illi generatio villis, quem mores adornant? Melius eſt enim alicui ut in eo glorientur parentes, quia talem filium habent, quam ut ipſe in parentibus gloriatur. Sic, & vos nolite gloriari dicentes, quia patrem habemus Abraham; ſed magis erubescite, quia filii eſtis ejus, & ſanctitatis ejus non eſtis hæredes. De adulterio enim natus videtur qui non aſſimilat patrem. Parentum igitur gloriam excludit, dicens: Et ne velitis dicere, Rabbanus. Quia ergo præco veritatis ad dignum poenitentia fructum faciendum eos incitare volebat, ad humilitatem provocabat, ſine qua nullus poenitere poteſt; ſubdens: Dico enim vobis quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abraham. Remigius. Fertur, quod in eo loco prædicavit Joannes circa Jordanem ubi jubente Deo duodecim lapides de medio alveo Jordaniſ ſublati poſiti ſunt. Potuit ergo fieri ut hos demonſtrando diceret: De lapidibus iſtis. Hieronymus (ſuper illud, Potens eſt Deus.) In quo Dei indicat potentiam, quod qui de nihilo cuncta fecerat, poſſet, & de ſaxis duris ſimis populum procreare. Gloſſa. (a) Prima enim ſunt rudimenta fidei credere Deum poſſe quicquid voluerit. (2) Chryſoſtomus in hom. Ex lapidibus autem generari homines, ſimile eſt ei quod ex Sara proceſſit Isaac: unde & Prophetæ dicit (Eſai.

(1) Al. Propria. (2) P. Nicolai omittit indicem Chryſoſtomi.
EX EDIT. P. NICOL. (a) Gloſſa, interlin.

51.) „ Aſpice ad petram de qua exciſi eſtis. „ Huius igitur prophetia eos memores faciens, monſtrat quod poſſibile eſt nunc etiam ſimile fieri. Rabbanus. Vel aliter. Lapidum nomine gentes ſignificatæ ſunt, quæ lapides coluerunt. Chryſoſtomus ſuper Matth. (hom. 3. in opere imperf.) Item lapis durus eſt ad opus; ſed cum factum fuerit opus ex eo, deficere neſcit; ſic & gentes cum difficultate crediderunt quidem, tamen credentes permanent in æternum in fide. Hieronymus (ſuper illud, Potens eſt.) Lege Ezechielem (cap. 6.) „ Auferam „ (inquit) à vobis cor lapideum, & dabo vobis „ cor carneum. „ In lapide duritia, in carne mollitudo monſtrat. Rabbanus. De lapidibus ergo filii Abraham ſuſcitati ſunt: quia dum gentiles in Abraham ſemine, id eſt in Chriſto, crediderunt, ejus filii facti ſunt cujus ſemini ſunt uniti.

Sequitur: Jam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Chryſoſtomus ſuper Matth. (hom. 1. in op. imperf.) Securis eſt acutiſſima ira conſummationis, quæ totum præficiat eſt mundum. Sed ſi poſita eſt, quare non præcidit? Quia rationabiles ſunt arbores, & in poteſtate habent facere bonum, aut non facere: ut videntes ad radices ſuas poſitam eſſe ſecurim, timeant, & faciant fructum. Ergo denunciatio iræ, quod eſt ſecuris poſtio, eſt in malis nihil agat, tamen à malis ſegregat bonos. Hieronymus. Vel ſecuris eſt prædicatio Evangelii, juxta Hieremiam qui (cap. 23.) „ Verbum Domini comparat ſecuri cadenti petram. Gregorius in hom. (20. circa med.) Vel ſecuris eſt Redemptor noſter, qui velut ex manubrio, & ferro, ex divinitate conſians, & humanitate, tenetur ex humanitate, ſed incidit ex divinitate: quæ videlicet ſecuris ad radicem arboris poſita eſt; quia eſt per patientiam expectat, videtur tamen quid factura eſt. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: quia unuſquiſque perverſus paratam citius gehennæ concremationem invenit qui hic fructum boni operis facere contemnit. Securim autem non juxta ramos poſitam, ſed ad radicem dicit: cum enim malorum filii tolluntur, rami inſtructioſæ arboris abſcinduntur; cum vero tota ſimul progenies cum parente tollitur, inſtructioſa arbor à radice abſciſſa eſt, ne remaneat unde prava iterum ſoboles ſuocrefcat. Chryſoſtomus in hom. 11. Cum autem dicit, Omnis, excludit primatum, quod eſt à nobilitate; quaſi dicat: Eſt nepos fueris Abraham, ſuſtinebis poenam ſine fructu manens. Rabbanus (ſuper illud, Arbor quæ non facit fructum.) Quaſi Thom. Oper. Tom. VIII.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nihil tale in Gloſſa quæ nunc extat, nec in Anſelmo, cum quo ſæpe Gloſſam iſtam, conſundit: ne occurrat alibi

tuor autem ſunt ſpecies arborum: quarum una tota eſt arida, cui aſſimilantur pagani; altera viridis, ſed ſine fructu, cui aſſimilantur hypocritæ; tertia viridis, & fructuoſa, ſed venenoſa, cui aſſimilantur hæretici; quarta viridis eſt, & fructum bonum gignit, cui aſſimilantur viri catholici. Gregorius in hom. (20. circa med.) Igitur omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur: quia paratam gehennæ concremationem invenit qui hic boni operis fructum facere contemnit.

(e) Gloſſa. (a) Quia in præcedentibus verbis Joannes explicaverat quod ſupra ſummarie de agenda poenitentia prædicavit, reſtabat ut etiam diſtinctius prædicaret quod de regni caelorum appropinquatione jam dixerat: ideo dixit: Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam. Gregorius in hom. (ſuper Evang.) Joannes non in ſpiritu, ſed in aqua baptizat, quia peccata ſolvere non valebat: corpora quidem per aquam lavat, ſed tamen animas per veniam non lavat. Chryſoſtomus in hom. (10. in Matth. aliquantulum à princ.) Cum enim nondum eſſet oblata hoſtia, neque peccatum ſolutum eſſet, nec ſpiritus deſcendiſſet in aquam, qualiter fieret remiſſio peccatorum? Sed quia Judæi nequaquam propria ſentiebant peccata, & hoc erat eis cauſa malorum, advent Joannes in cogitationem eos ducens propriorum peccatorum, poenitentiam memorando. Gregorius in hom. (7. in Evang. par. ante med.) Cur ergo baptizat qui peccata non relaxat, niſi ut præcurſionis ſuæ ordinem ſervans; qui naſciturum naſcendo prævenerat, baptizaturum quoque Dominum baptizando præveniret? Chryſoſtomus ſuper Matth. (hom. 3. in op. imperf. à medio illius.) Vel miſſus erat Joannes ad baptizandum, ut ad baſiſmum venientibus præſentiam Filii Dei in corpore prædicaret, ſicut ipſe teſtatur alibi dicens (Joan. 1.) „ Ut man „ ſeſtetur in Iſrael, ideo ego veni in aqua baptizare. „ Auguſtinus ſuper Joannem (tract. 4. à med. & tract. 5.) Vel ideo baptizat quia oportebat baptizari Chriſtum. Sed quare non ſolus ipſe baptizatus eſt à Joanne, ſi ad hoc miſſus erat Joannes per quem baptizaretur Chriſtus? Quia ſi ſolus Dominus baptizatus eſſet baptizate Joannis, non deſſent qui putarent baſiſmum Joannis majorem eſſe quam baſiſmum Chriſti, utque adeo ut ſolus Chriſtus eo baptizari meruiſſet. Rabbanus (ſuper illud, Ego baptizo vos aqua.) Vel ideo baptizat ut poenitentia hoc ſignaculo ab impenitentibus ſecernendo, ad baſiſmum dirigat Chriſti. Chryſoſtomus (ſuper illud, Ego baptizo vos aqua.)

super Matth. (hom. 3. in op. imperf.) Quia ergo propter Christum baptizabat, ideo ad ipsum venientibus, Christum predicat apparitum, & eminentiam potestatis ejus annuntiat, dicens: *Qui autem post me venturus est, fortior me est. Remigius.* Sciendum est autem, quod quinque modis venit Christus post Joannem, nascendo, predicando, baptizando, moriendo, & ad inferos descendendo. Et pulchre Dominus dicitur fortior Joanne, quia ille purus homo, hic vero Deus & homo. *Rabbanus.* Ac si Joannes dicat: Ego quidem fortis sum ad penitentiam invitando; ille peccata remittendo; ego regnum caelorum predicando; ille donando; ego in aqua baptizando; ille in spiritu. *Chrysostr. in hom. (11. à med. illius.)* Cum autem audieris, *Quia fortior me est*, ne vestimes secundum comparationem me hoc dicere: neque enim inter servos illius ordinari sum dignus, ut viliissimam ministerii susciperem particulam; unde subdit: *Cujus non sum dignus calcamenta portare.* *Hilarius* (can. 2. in Matth. à med.) Apostolis utique circumferenda predicacionis gloriam derelinquens, quibus speciosis pedibus pacem Dei erat debitum nuntiare. *Chrysostr. super Matth.* (hom. 3. in opere imperf.) post med.) Vel per pedes Christi intelligere possumus Christianos, præcipue Apostolos, ceterosque prædicatores, inter quos erat Joannes Baptista: calcamenta autem sunt infirmitates quibus operit prædicatores. Hæc ergo calcamenta Christi omnes prædicatores portant; & Joannes etiam portabat; sed se dignum non esse portare pronuntiat, ut majorem ostenderet gratiam Christi meritis suis. *Hieronymus* (super illud, *Cujus non sum dignus.*) In alio Evangelio ait (Joan. 1.) „Cujus non sum dignus solvere coram, rigam calcamenti.“ Hic humilitas, ibi ministerium demonstratur: quia Christus cum sponsus sit, & Joannes non mereatur sponsi corrigiam solvere, ne vocetur domus ejus, juxta legem Moyse, & exemplum Ruth, domus discaleati. *Chrysostr. super Matth.* (hom. 3. in opere imperf.) Quia vero nemo potest dare dignius beneficium quam ipse est, nec facere alterum quod ipse non est; recte subdit: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Joannes quidem cum sit corporalis, spirituales baptismum dare non potest; sed baptizat in aqua, quæ corpus est; & ideo corpus cum corpore baptizat. Christus autem spiritus est, quia Deus est. Spiritus etiam Sanctus, spiritus est; anima quoque spiritus est: ideo spiritus cum spiritu spiritum nostrum baptizat. Baptismus autem spiritus proficit, quia ingrediens spiritus circumplectitur animam, & quasi muro quodam inexpugnabili circum eam, & non per-

mittit ut carnales concupiscentiæ prævaleant contra eam. Non quidem facit ut caro non concupiscat; sed tenet animam ut ei non consentiat. Et quoniam Christus judex est, baptizat in igne, idest in tentationibus; in igne autem baptizare non potest homo purus. Ille enim tentandi habet licentiam qui remunerandi habet potestatem. Hic autem baptismus tribulationis, idest ignis, comburit carnem, ut non germinet concupiscentias: nam caro spirituales quidem penas non timet, sed carnales. Ideo ergo Dominus super servos suos carnales tribulationes mittit, ut timens angustias suas caro non concupiscat malum. Vides ergo quia spiritus repellit concupiscentias, & prævalere non sinit; ignis autem ipsas concupiscentiarum radices comburit. *Hieronymus* (super illud, *Ipse vos baptizabit.*) Vel in Spiritu Sancto, & igni: quia ignis est Spiritus Sanctus, quo descendente, sedit quasi ignis super linguas credentium. Et impletus est sermo Domini dicens Luc. 12. „Ignem veni mittere in terram:“ sive quia in presenti spiritu baptizamur, & in futuro igni, secundum illud Apostoli 1. Corinth. 3. „Unusquisque opus quale sit, ignis probabit.“ *Chrysostr. in hom. (11. in Matth. circa med.)* Non autem dicit, Dabit vobis Spiritum Sanctum; sed *Baptizabit vos in Spiritu Sancto*, copiam gratiæ metaphoricè ostendens. Per hoc etiam monstratur quod sola voluntate etiam in fide indiget ad justificandum, non laboribus; & sudoribus: & sicut facile est baptizari, ita facile est per eum transmutari, & fieri meliores. In igne vero vehementiam gratiæ, quæ vincit non possit, demonstrat; & ut intelligatur quod similes antiquis, & magnis Prophetis repente suos faciat: propter hoc enim ignis meminit, quia plures visonum prophetiarum per ignem apparuerunt. *Chrysostr. super Matth.* (hom. 3. in op. imperf. à med. illius.) Patet ergo quod baptismus Christi non solvit Joannis baptismum, sed in se inclusit: qui enim baptizatur in nomine Christi, utrumque baptismum habet, & aquæ, & spiritus: quia Christus & spiritus erat, & corpus suscepit, ut & corporale, & spirituale baptismum daret. Joannis autem baptismus non includit in se baptismum Christi, quia quod minus est, major in se includere non potest. Ideo Apostolus cum invenisset quosdam Ephesios, Joannis baptismae baptizatos, iterum baptizavit eos in nomine Christi, quia in spiritu non erant baptizati: quoniam & Christus iterum baptizavit eos qui à Joanne fuerant baptizati; sicut sermo Joannis demonstrat, dicens: *Ego vos baptizo in aqua; ille vos baptizabit in Spiritu.* Nec videbatur iterum baptizare, sed semel: quia enim amplius erat baptismus Christi-

Christi quam Joannis, novum dabatur, & non iterum. *Hilarius* (can. 2. in Matth. à medio.) Salutis igitur nostræ, & judicii tempus designat in Domino, dicens: *Baptizabit vos in Spiritu Sancto, & igni:* quia baptizatis in Spiritu Sancto reliquum sit consummari ignem judicii: unde subditur: *Cujus ventilabrum in manu sua. Rabbanus* (super illud, *Cujus ventilabrum.*) Per ventilabrum, idest (1) palam discretio iusti examinis designatur, quod habet Dominus in manu, idest in potestate, quia (Joan. 5.) „Palam ter omne judicium dedit Filio.“

Sequitur: *Et permundabit aream suam. Chrysostr. super Matth.* (hom. 3. in opere imperf.) Area, idest Ecclesia; horreum vero regnum caeleste; ager autem hic mundus. Mittens ergo Dominus Apostolos, ceterosque doctores quasi messorum, præcidit omnes gentes de mundo, & in aream Ecclesiæ congregavit. Hic ergo trituranus sumus, hic ventilandi, omnes enim homines in rebus carnalibus delectantur, sicut grana in palea. Sed qui fidelis est, & hinc cordis habet medullam, mox ut leviter tribulatus fuerit, negligens carnalia currit ad Dominum; si autem modice fidei fuerit, vix cum grandi tribulatione; qui autem omnino infidelis est, & vacuus, quantumcumque tribulatus fuerit, non transit ad Deum. Triticum autem cum primum tritratum fuerit, jacet cum paleis in uno loco confusum; postea autem ventilatur ut separaretur: sic & in una Ecclesia fideles cum infidelibus habentur commixti; ideo movetur persecutio quasi ventus, ut ventilabro Christi jactati, qui jam disjuncti fuerant accibus, separantur & locis. Et vide quia non dixit, *Mundabit aream suam; sed permundabit:* necesse est enim ut diversis modis teneatur Ecclesia, donec permundetur. Et primum quidem ventilaverunt illam Judæi, deinde Gentiles, modo hæretici, postmodum per ventilabrum Antichristus. Sicut enim quando modica est aura, non permundatur tota tritici massa; sed leviores paleæ jactantur, graviores autem remanent: sic & modo modico statu tentationis sufflante pessimi homines recedant. Si autem surrexerit major tempestas, etiam illi qui videntur esse stabiles, sunt exituri. Ideo necessaria est tentatio major, ut permundetur Ecclesia. *Remigius.* Hanc etiam aream, scilicet Ecclesiam, Dominus mundat in hac vita, cum vel per judicium sacerdotum mali de Ecclesia tolluntur, vel per mortem de hac vita absconduntur. *Rabbanus* (super illud, *Cujus ventilabrum.*) „*Al. paleam.* (2) *Al. non debere eos arbitrari meriti, quamquam si pluribus &c.* (3) *Al. veram.* (4) *Tale aliquid Rabbanus insinuat, nisi quod ait inextinguibilem ignem, vel æternum vocari ad differentiam sacratissimi ignis, quo electos Dei baptizandos præmittit.*

(super illud, *Cujus ventilabrum.*) Universaliter autem area purgatio in fine perficietur, quando mittet Angelos suos Filius hominis, & colliget de regno suo omnia scandala, *Gregorius 24. Mor.* (cap. 3. super illud, „Mittet contra eum fulmina:“ in novis exemplaribus est cap. 5. à med.) Nam post trituratam vitæ præsentis, in qua nunc triticum sub paleis gemit, ita illo extremi judicii ventilabro triticum paleaque discernitur, ut nec in tritici horreum paleæ transeant, nec in palearum ignem horrei grana dislabantur: & hoc est quod sequitur: *Et congregabit triticum suum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili.* *Hilarius* (can. 2. in Matth. à med.) Triticum suum, perfectos scilicet credentium fructus, dicit caelestibus horreis recondendum, paleas vero infructuosorum hominum inanitatem. *Rabbanus* (super illud, *Paleas comburet igni inextinguibili.*) Verum hoc inter paleas & zizania distat, quod paleæ non alio quam triticorum semine procedunt, zizania vero de diverso. Paleæ ergo sunt qui fidei sacramentis imbuuntur, sed solidi non sunt; zizania vero qui & opere, & professione feceruntur à bonorum sorte. *Remigius.* (a) Ignis autem inextinguibilis dicitur poena æternæ damnationis; sive quia quos semel suscepit, nunquam exstinguit, sed semper cruciat; sive ad differentiam ignis purgatorii, qui ad tempus accenditur, & extinguitur. *Augustinus* de Concord. Evang. (Lib. 2. cap. 3. à med.) Si autem queritur quæ verba potius Joannes Baptista dixerit, utrum quæ Matthæus, an quæ Lucas, an quæ Marcus eum dixisse commemorat; nullo modo hic laborandum esse judicatur qui prudenter intelligit ipsas sententias esse necessarias cognoscenda veritati, quibuslibet verbis fuerint explicata. Et in hoc apparet (2) non debere nos arbitrari mentiri quemquam, si pluribus reminiscitur rem, quam audierunt, vel viderunt, non eodem modo, atque eisdem verbis eadem res fuerit indicata. Quisquis autem dicit Evangelistis per Spiritum Sancti potentiam hoc potuisse concedi ut nec in genere verborum, nec in ordine, nec in numero discrepent, non intelligit quanto amplius Evangelistarum excellit auctoritas, tanto magis per eos fuisse firmendam ceterorum hominum (3) vera loquentium securitatem. Quod autem alius dixit, *Cujus non sum dignus calcamenta portare;* alius vero (Marc. 1.) „Calcamenti corrigiam solvere;“ non verbis tantum, sed & re ipsa

videretur aliud esse. Merito ergo quæri potest quid horum Joannes dixerit. Verum (1) enim videtur narrasse qui hoc potuit narrare quod ille dixit; qui autem aliud, etsi non est mentitus certe, vel oblitus, aliquid pro alio dixisse putabitur. Omnem autem falsitatem abesse ab Evangelistis decet, non solum eam quæ mentiendo (2) promittitur, sed etiam eam quæ oblitescendo. Ita si ad rem pertinet aliquid aliud intelligere, ex utroque dictionum recte existimandum est; Joannem utrumque dixisse, sive aliud alio tempore, sive confessum. Si autem nihil intendit Joannes cum de calcamentis Domini diceret, nisi excellentiam ejus, & suam humilitatem; quodlibet dictionum dixerit, eandem tamen sententiam tenuit, quisquis etiam verbis suis per calcamentorum commemorationem eandem significationem humilitatis expressit: unde ab eadem voluntate non aberravit. Utiles ergo modus, & memoriæ commendandus, non esse mendacium cum quisque voluntatem ejus explicat de quo aliquid narrat, etiam dicens aliquid aliud quod ille non dixit; voluntatem tamen suam explicavit eandem quam & ille cujus verba commemorat. Ita enim salubriter dicimus nihil aliud esse querendum quam quid velit ille qui loquitur.

(1) *Glossa.* (a) (interlinearis sup. illud, *Tunc venit Jesus ad Galilæam.*) Postquam prædicationem sui præcursoris Christus mundo prænuntiatus est, tandem qui diu latuerat, hominibus se manifestare voluit: unde dicitur: *Tunc venit Jesus ad Galilæam in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.* Remigius. Est sciendum, quod in his verbis describuntur personæ, loca, tempus, & officium. Tempus cum dicit, *Tunc, Rabbanus.* Quando scilicet tricenarius erat: in quo ostendit nullum vel sacerdotem, vel prædicatorem debere institui, nisi sit perfectæ ætatis. Joseph tricenarius regimen Ægypti suscepit; David ea ætate regnum inchoavit; Ezechiel sub eodem tempore Prophetiam promeruit. *Chrysostromus* in hom. 10. Quia etiam post baptismum hunc legem cessare oportebat, hac ætate ad baptismum venit, qui potest omnia peccata suscipere, ut lege servata nullus dicat, quia ideo eam solvit, quia implere non potuit. *Chrysostromus* super Matth. (hom. 4. in op. im-

(1) *Al.* etiam. (2) *Al.* promittitur. (3) *Al.* omittitur Dominus. (4) *Al.* Subtilior enim benedictionem carnis.

Ex edit. P. Nicol. (a) Vel potius Anselmus, pro quo citari Glossa in hoc opere solet: nec hoc in Glossa extat. (b) Immo potius Ambrosius in serm. 15. qui est 4. de Epiphania, versus finem: nec in recenti Augustini editione sermo ille habetur, quamvis in aliquibus extiterit. (c) Quoad priora tamen verba serm. 1. in Dom. infraoct. Epiph. ubi tamen insinuat pars aliqua ultimæ appendicis, textu paululum immutato. Reliqua vero partim ex Ambrosio colliguntur in prædicto serm. partim non occurrunt.

perf. sub initio.) Tunc etiam, scilicet quando Joannes prædicaverat, *Penitentiam agite*, ut confirmaret prædicationem ipsius, & ut testimonium acciperet à Joanne. Sicut autem cum processerit lucifer, lux solis non expectat occasum luciferi; sed eo procedente egreditur, & suo lumine obscurat illius candorem: sic & Christus non expectavit ut cursus suum Joannes impletet; sed adhuc eo docente apparuit. *Remigius.* Personæ ponuntur, cum dicit, *Venit Jesus ad Joannem*; idest; Deus ad hominem, Dominus ad servum, Rex ad militem, lux ad lucernam. Loca designantur, cum dicit, *Galilæa in Jordanem.* Galilæa enim transmigrationis interpretatur. Quicumque ergo vult baptizari, transmigret de vitiis ad virtutes, & veniendo ad baptismum se humiliet: Jordanis enim interpretatur descensus. *Augustinus* (b) (in serm. de Epiphania.) Multa autem mirabilia in hoc flumine sæpius facta esse Scriptura sancta commemorat inter cetera dicens (Plal. 113.). *Jordanis conversus est retrorsum: ante quidem retrorsum aquæ conversæ fuerant, modo retrorsum peccata conversæ sunt: sicut etiam Elias in Jordane divisionem fecit aquarum, & Christus* (3) Dominus in eodem Jordane separationem operatus est peccatorum. *Remigius.* Officium designatur cum sequitur, *Ut baptizaretur ab eo.* *Chrysostromus* super Matth. (hom. 4. in opere imperf.) Non ut ipse remissionem peccatorum acciperet per baptismum, sed ut sanctificatas aquas relinqueret postmodum baptizandis. *Augustinus* (c) (Priora verba habentur in serm. 11. infraoctavam Epiph.) Salvator enim ideo baptizari voluit, non ut sibi munditiam acquireret, sed ut nobis fluentia mundaret. Ex quo ipse in aquam demergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua. Nec mirum quod aquam, hoc est substantiam corporalem, ad purificandam animam dicimus pervenire: pervenit plane, & penetrat conscientie universa latibula. Quamvis enim ipsa sit subtilis, & tenuis, benedictione tamen Christi facta subtiliore, occultas vitæ causas, ac secreta mentis subtiliore rore pertransit.

(4) Subtilior enim est benedictionum cursus quam aquarum meatus. Unde quæ de Salvatore baptismate benedictio fluxit, tamquam fluvius spiritalis, omnium gurgitum tractus, unit-

(1) *Al.* signatur. (2) *Al.* sicut. (3) *Al.* deest meis. (4) *Al.* nunc.

Ex edit. P. Nicol. (a) Immo Ambrosius, ut supra, sed serm. 17. qui de baptismo Christi prænotatur, in oct. Epiph. nec in editione August. recentiori exiit, etsi aliter indicetur serm. 17. de Epiph. his verbis: *Quod facere voluit, prior in se fecit.* (b) Immo iterum Ambrosius, ut supra, in eodem serm. 17. post medium; non sic tamen expresse quoad posteriorem appendicem, nec per modum redditionis causæ quoad priorem.

verforum fontium venas implevit. *Chrysostromus* super Matth. (hom. 4. in op. imperf.) Ad hoc autem ad baptismum venit, ut qui humanam suscepit naturam, totum humanæ naturæ inveniat implens mysterium; nam quamvis ipse non erat peccator, tamen naturam suscepit peccatricem. Propterea etsi pro se baptismate non egebat, tamen in aliis carnalis natura opus habebat. *Augustinus* (a) in serm. de Epiph. Item ideo baptizari voluit, quia voluit facere quod faciendum omnibus imperabat, ut bonus magister doctrinam suam non tam verbis insinuat, quam actibus exerceret. *Augustinus* super Joannem (tract. 5.) Hinc ergo dignatus est à Joanne baptizari, ut cognoscerent servi quanta alacritate debeant currere ad baptismum Domini, quando ipse non indignatus est accipere baptismum servi. *Hieronymus* (super illud, *Venit Jesus.*) Item baptizari voluit, ut baptismate suo, Joannis baptismata comprobaret. *Chrysostromus* in hom. (12. in init.) Quia vero baptismus penitentia erat, & in demonstrationem delictorum inducebatur, ne aliquis æstimaret quod hac ratione Christus ad Jordanem venit, ideo venient dicit: *Ego à te debeo baptizari; & tu venis ad me?* quasi dicat: *Chrysostromus* super Matth. (hom. 4. operis imperf.) parum à principio.) Ut tu me baptizes, est idonea ratio, ut justus efficiat, & dignus celo; ut autem ego te baptizem, quæ est ratio? Omne bonum de celo descendit in terram, non de terra ascendit in caelum. *Hilarius* (can. 2. à med.) Denique à Joanne baptizari prohibetur ut Deus; & ita in se fieri oportere ut homo docet: unde sequitur: *Respondens autem Jesus dixit ei: Sine modo, Hieronymus* (super illud, *Sine modo.*) Pulchre dixit, *Modo*, ut ostenderet Christum in aqua à Joanne, Joannem à Christo in spiritu baptizandum. Sive aliter. *Sine modo*, ut qui formam servi assumpsit, expleam & humilitatem ejus; alioquin scito te in die judicii meo esse baptismate baptizandum. Vel *sine modo*, ut dicat Dominus: Habeo & aliud baptismata, quo & baptizandus sum. Tu me baptizas in aqua, ut ego te baptizem pro me in sanguine tuo. *Chrysostromus* super Matth. (hom. 4. in opere imperf. ante med.) In quo etiam ostendit quia postea Christus baptizavit Joannem; quamvis etiam in apocryphis libris hoc manifeste scriptum sit.

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) *Al.* signatur. (2) *Al.* sicut. (3) *Al.* deest meis. (4) *Al.* nunc.

Ex edit. P. Nicol. (a) Immo Ambrosius, ut supra, sed serm. 17. qui de baptismo Christi prænotatur, in oct. Epiph. nec in editione August. recentiori exiit, etsi aliter indicetur serm. 17. de Epiph. his verbis: *Quod facere voluit, prior in se fecit.* (b) Immo iterum Ambrosius, ut supra, in eodem serm. 17. post medium; non sic tamen expresse quoad posteriorem appendicem, nec per modum redditionis causæ quoad priorem.

Sed modo sine ut justitiam baptismatis non verbis, sed factis adimpleam: prius suscipiam, postea prædicabo: unde sequitur: *Sic enim docet nos omnem implere justitiam*: ubi non hoc (1) significat, ut si fuerit baptizatus, adimpleat omnem justitiam; sed sic; idest, quemadmodum baptismatis justitiam prius factis implevit, postea prædicavit; sic & omnem aliam justitiam, secundum illud Act. 1. 1., *Cœpit Jesus facere, & docere.* Aut ita. *Sic oportet nos implere omnem justitiam baptismi*, idest secundum dispensationem humanæ naturæ: (2) sic enim implevit justitiam nascendi, crescendi, & similia. *Hilarius* (can. 2. in Matth.) Erat & per eum omni implenda justitia, per quem solum lex poterat impleri. *Hieronymus* (super illud, *Sic docet nos.*) Non autem addit justitiam legis, sive naturæ, ut utrumque intelligamus. *Remigius.* Vel sic. *Docet nos implere omnem justitiam*; idest, ostendere exemplum omni implendæ justitiæ in baptismo, sine quo non aperitur aditus regni cælestis. Vel etiam discant superbi exemplum humilitatis, ut non desuperent baptizari ab humilibus membris (3) meis, dum viderint me baptizatum à te Joanne servo meo. Illa autem est vera humilitas quam comes obedientia sequitur: unde subditur: *Tunc dimisit eum*; idest, ad ultimum assensum præbuit, ut baptizaret eum.

(g) *Augustinus* (b) in serm. de Epiph. Quia, ut dictum est; cum Salvalor noster abluitur, jam (4) tunc in nostrum baptismum tota aqua mundatur, ut secuturis postmodum populis, lavacri gratia ministraret. Oportuit etiam Christi baptismum ea designari, quæ per baptismum consequuntur fideles: unde dicitur: *Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua.* *Chrysostromus* super Matth. (hom. 4. operis imperf. ante med.) Factum Christi ad mysterium pertinet omnium qui postmodum fuerant baptizandi; & ideo dixit, *Confestim*, & non dixit simpliciter, *Ascendit*: quia omnes qui digne baptizantur in Christo, confestim de aqua ascendunt; idest, proficiunt ad virtutes, & ad dignitatem sublevantur cælestem: qui enim in aquam ingressi fuerant carnales, & filii Adæ peccatores, confestim de aqua ascendunt spirituales filii Dei facti. Si autem quidam ex sua culpa nihil proficiunt baptizati, quid ad baptismum?

(1) *Al.* signatur. (2) *Al.* sicut. (3) *Al.* deest meis. (4) *Al.* nunc.

Ex edit. P. Nicol. (a) Immo Ambrosius, ut supra, sed serm. 17. qui de baptismo Christi prænotatur, in oct. Epiph. nec in editione August. recentiori exiit, etsi aliter indicetur serm. 17. de Epiph. his verbis: *Quod facere voluit, prior in se fecit.* (b) Immo iterum Ambrosius, ut supra, in eodem serm. 17. post medium; non sic tamen expresse quoad posteriorem appendicem, nec per modum redditionis causæ quoad priorem.

num? *Rabbanus*. Quia ergo nobis Dominus sui corporis (1) intinctu baptismi lavacrum (2) dedicavit, nobis quoque post acceptum baptismi cæli aditum patere, & Spiritum Sanctum dari demonstravit: unde sequitur: *Et aperti sunt ei cæli*. *Hieronymus* (in calce Com. in 3. cap. Matth.) Non refectione (3) elementorum, sed spiritualibus oculis; sicut & *Ezechiel* in principio voluminis sui apertos esse commemorat. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 4. oper. imperf. circa medium.) Si enim ipsa creatura (4) cælorum rupta fuisset, non dixisset, *Aperti sunt ei*: quia quod corporaliter aperitur, omnibus est apertum. Sed dicit aliquis: Quid enim? Ante oculos Filij Dei clausi fuerant cæli, qui etiam in terra constitutus erat in cælo? Sed sciendum, quod fides secundum dispensationem humanam baptismus est, sic secundum humanam dispensationem aperti sunt ei cæli; secundum autem naturam divinam erat in cælis. *Augustinus*. Sed numquid tunc primo aperti sunt ei cæli etiam secundum humanam naturam? Fides enim Ecclesie & credit, & teneat quod non minus aperti sunt ei cæli ante quam post. Ideo ergo dicitur, quod aperti sunt ei cæli, quia omnibus renatis aperitur janua regni cælestis. *Chrysostomus* super Matth. hom. 4. oper. imperf. Forte enim erant invisibilia quædam obstacula prius, quibus obfistebant animæ defunctorum non poterant introire cælos. Nullam enim animam ante Christum arbitror ascendisse in cælum ex quo peccavit Adam, & clausi sunt cæli. Sed ecce baptizato Christo aperti sunt tantum; postquam vero tyrannum vicit per crucem, quia non erant necessariae portæ cælo nuncquam claudendo, non dicunt Angeli, *Aperite portas, jam enim erant apertæ*; sed (Psal. 23.) „Tollite portas.“ Vel (5) baptismus aperiantur cæli, & vident ea quæ sunt in cælo; non carnalibus oculis videndo, sed spiritualibus fidei credendo. Aut ita. Cæli sunt Scripturæ divinæ; quas omnes legunt, non tamen omnes intelligunt, nisi qui fuerint sic baptizati ut accipiant Spiritum Sanctum. Unde & *Apostolis* primitus erant clausæ Scripturæ Prophetarum; sed accepto Spiritu Sancto, refectione sunt eis omnes Scripturæ. Tamen quocumque modo intelligatur, cæli aperti sunt ei, idest omnibus propter eum: sicut si Imperator alicui pro alio petenti dicat: Hoc beneficium non illi do, sed tibi; idest, propter te illi. *Glossa*. Vel tantus

(1) *Al.* intinctu. (2) *Al.* dedicavit nobis quam prius acceptum baptismi cæli aditum patere, & Spiritum Sanctum demonstravit. (3) *Al.* occultorum. (4) *Al.* deest cælorum. (5) *Al.* in baptizatis. (6) *Al.* omittitur nullius. (7) *Al.* morte.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Immo Anselmus tantum hoc verborum tenore; quamvis *Rabbanus* non dissimili sensu, sed aliis omnino verbis.

splendor circumfulsit Christum in baptismo ut empyreum videretur cælum referatum esse. *Chrysostomus* in hom. (12. parum ante med.) Si autem tu non vides, non incredulus sis: etenim in principiis spiritualium rerum semper sensibiles apparent visiones, propter illos qui nullam intelligentiam incorporalis naturæ fuscipere possunt, ut si postea non fiat, ex his quæ semel facta sunt, recipiant fidem. *Remigius*. Sicut autem omnibus per baptismum renatis aperitur janua regni cælestis, ita omnes in baptismo accipiunt dona Spiritus Sancti: ideo subditur: *Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se*. *Augustinus* in ferm. de Epiph. (dominica infra oct. Epiph. & est ferm. de temp. 36.) Christus enim postquam natus est hominibus, renascitur sacramentis; ut quemadmodum tunc eum miramur incorrupta matre progenitum, ita & nunc suscipiamus illum pura unda submersum. Filium enim genuit mater, & casta est; Christum lavit unda, & sancta est. Denique Spiritus Sanctus, qui tunc illi in utero affluit, modo eum in gurgite circumfulsit; qui tunc Mariam castificavit, nunc fluentia sanctificat. Unde dicit: *Et vidit Spiritum Dei descendentem*. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 4. in opere imperf. non procul à fin.) Ideo autem Spiritus Sanctus speciem columbæ suscepit, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultris est caritatis. Omnes autem justitiæ species, quas habent servi Dei in veritate, possunt habere servi diaboli in simulatione; solam autem caritatem Sancti Spiritus non potest immundus spiritus imitari. Ideo ergo hanc privatam speciem caritatis sibi servavit Spiritus Sanctus, quia per (6) nullius testimonium sic cognoscitur ubi est Spiritus Sanctus, sicut per gratiam caritatis. *Rabbanus*. (a) Significantur etiam quatuor virtutes in baptizatis per columbam. Columba enim secus fluentia habitat, ut, viso accipitæ, mergat se, & evadat; meliora grana eligit, alienos pullos nutrit, non lacerat rostro, felle caret, in cavernis petreæ nidificat, gemitum pro cantu habet ita & sancti secus divina Scripturæ fluentia resident, ut incursum diaboli evadant; sanas sententias quibus pascantur eligunt, non hæreticas; homines qui diaboli fuerunt pulli, idest imitatores, doctrina nutriunt, & exemplo bonas sententias lacerando non pervertunt hæreticorum (7) more; ira irreconciliabiliarent

(1) in

in plagis mortis Christi, qui petra firma est, nidum ponant, idest suum refugium, & spem; sicut etiam alii delectantur in cantu, ita ipsi in gemitu pro peccatis. *Chrysostomus* in hom. (12. circa med.) Veteris etiam recordatur historia: in diluvio (1) enim apparuit hoc animal, ramum ferens olivæ, & communem orbis tranquillitatem annuntians; quæ omnia typus erant futurorum. Etenim nunc columba apparet, liberatorem nobis demonstrans, & pro ramo olivæ adoptionem generi humano offert. *Augustinus* Lib. 2. de Trin. (cap. 5. & 6.) Est autem in promptu intelligere cur Spiritus Sanctus missus dicatur, cum in ipsum Dominum corporali specie velut columba descendit: facta est enim quædam creaturæ species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus Sanctus. Hæc autem operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, missio Spiritus Sancti dicta est, non ut apparetur invisibilis ejus substantia, sed ut corda hominum exterioribus visis commota, ad occultam æternitatem converterentur. Non autem sic assumpta est creatura, in qua Spiritus Sanctus apparuit, in unitatem scilicet personæ, sicut assumpta est humana illa forma ex Virgine. Neque enim columbam beatificavit Spiritus, aut sibi in personæ suæ unitatem in æternum conjunxit. Proinde, quamquam illa columba Spiritus dicta sit, ut ostenderetur per columbam Spiritum demonstratum, non tamen ita possumus dicere Spiritum Sanctum & Deum & columbam, sicut dicimus Filium & Deum, & hominem; nec sicut dicimus Filium agnum Dei, non solum Joanne Baptista dicente, sed etiam Joanne Evangelista vidente agnum occisum in Apocalypsi: illa quippe visio prophetica non est exhibitæ oculis corporeis per formas corporeas, sed in spiritu per spirituales imagines corporum. De illa vero columba nullus umquam dubitavit quin oculis visa sit; nec sicut dicimus Filium petram (scriptum est enim 1. Corinth. 10. „Petra erat Christus“) ita possumus dicere Spiritum columbam. Illa enim petra jam erat in creatura, & per actionis modum nuncupata est nomine Christi, quem significabat; non autem sic illa columba, quæ ad hæc tantummodo significanda repente extitit. Magis autem simile hoc mihi videtur flammæ illi quæ in rubo apparuit Moyfi, & illi quam populus in eremo sequebatur, & fulguribus ac tonitruis quæ fiebant dum lex daretur in monte. Ad hoc enim rerum illarum corporalis extitit

species ut aliquid significaret, atque præteriret. Propter has ergo corporales formas missus dicitur Spiritus Sanctus; ille vero species corporales ad demonstrandum quod opus fuit, ad tempus apparuerunt, & esse postea desierunt. *Hieronymus* (in fine Com. in cap. 3. Matth.) Sedit autem super caput Jesu, ne quis putaret vocem Patris ad Joannem factam, non ad Dominum: unde sequitur, *Et venientem super se*.

(h) *Augustinus* in ferm. de Epiph. Non enim ut ante per Moysen, aut per Prophetas, nec per typos, aut figuras, venturum in carne Pater Filium docuit; sed palam venisse monstravit, dicens: *Hic est Filius meus*. *Hilarius* (can. 2. in Matth. prope finem.) Vel ut ex his quæ consummabantur in Christo, cognosceremus post aquæ lavacrum & de cælestibus portis Sanctum in nos Spiritum (2) involare, & cælestis nos gloriæ unctione perfundi, & paternæ vocis adoptione filios Dei fieri. *Hieronymus* (in Com. Matth. cap. 3. prope finem.) Mysterium autem Trinitatis in baptismo demonstratur. Dominus baptizatur, Spiritus descendit in habitu columbæ. Patris vox Filio testimonium perhibentis auditur. *Augustinus* (a) in ferm. de Epiph. Nec mirum si in dominico lavacro mysterium non desuit Trinitatis, cum nostrum lavacrum Trinitatis compleat sacramentum. Voluit enim Dominus primo circa se exhibere quod erat postea humano generi præcepturus. *Augustinus* de Fide ad Petrum (cap. 9. in initio.) Quamvis autem Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sint una natura; firmissime tamen tenent esse personas; Patremque solum esse qui dixit: *Hic est filius meus dilectus*; & Filium solum esse super quem illa vox Patris insonuit; & Spiritum Sanctum solum esse qui in specie columbæ super Christum baptizatum descendit. *Augustinus* 4. de Trin. (cap. 21.) Hæc autem opera sunt totius Trinitatis. In sua quippe substantia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vel locorum; in meis autem vocibus separati sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, nec simul dici poterunt; & in litteris visibilibus sua separatim locorum spatia tenuerunt: (3) quia similitudine utrumque cognoscitur, inseparabilem in seipsa Trinitatem per visibiles creaturæ speciem separabiliter demonstrari. Quod autem solius Patris vox sit, ostenditur ex hoc quod dicit, *Hic est filius meus*. *Hilarius* (b) in Libro de Trin.

(1) in

(1) *Al.* omittitur enim. (2) *Al.* immolare. (3) *Al.* quia similitudine utrumque.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Sive potius *Ambrosius*, ut jam supra, ferm. 15. qui de festo Epiph. 4. est; sicut & mox quod sub nomine *Augustini de Fide ad Petrum* annotatur, est *Fulgentii*, ut jam alibi dictum. (b) *Nempe* Lib. 3. super illud Joan. 17. *Clarifica Filium tuum*.

Trin. Non solum nomine contestatus est eum esse Filium, sed proprietate. Multi enim nos filii Dei sumus; sed non talis est hic Filius: hic enim & proprius, & verus est Filius; origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione, nativitate, non creatione. *Augustinus* super Joannem (tract. 14.) Pater autem diligit Filium, sed quomodo pater Filium, non quomodo dominus servum, sed quomodo unicum, non quomodo adoptatum: & ideo subditur, *In quo mihi complacui. Remigius.* (a) Vel si ad humanitatem Christi referatur, si legatur, *In quo mihi complacui*; talis est sensus: *In quo mihi complacui*, quia istum solum reperi sine peccato. Si vero legatur, *In quo mihi complacuit*, subauditur, placitum meum constituit, ut per eum agerem quæ agenda sunt; id est, genus humanum redimerem. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 14.) Hæc autem verba & alii duo, Marcus, & Lucas, similiter narrant; sed de verbis vocis quæ de cælo facta est, variant locutionem, salva tamen sententia. Quod enim Mathæus ait dictum, *Hic est Filius meus dilectus*, & alii duo dicunt, „Tu es Filius meus

EX EDIT. P. NICOL. (a) Similia Rabbanus in hunc locum, non in Matth. 12. sicut prius.

CAPUT IV.

- (a) Tunc Jesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Et cum junctæ quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurit.
- (b) Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.
- (c) Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Jesus tursum: Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.
- (d) Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Tunc dicit ei Jesus: Vade Satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Tunc reliquit eum diabolus; & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.
- (e) Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam, & relicta civitate Nazareth, venit, & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Nephthalim: ut adimpleretur quod dictum est per Elaiam Prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Jordanem Gallilææ Gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.
- (f) Exinde cepit Jesus prædicare, & dicere: Penitentiam agite: appropinquavit enim regnum caelorum.
- (g) Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mitrentes rete in mare: erant enim piscatores. Et ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relicti restibus, secuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, resicientes

res retia sua, & vocavit eos. Illi autem statim, relicti restibus, & patre, secuti sunt eum.

(h) Et circumbat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam; & obtulerunt ei omnes male habentes, varis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos; & curavit eos. Et secuta sunt eum turba multa de Galilæa, & Decapoli, & de Hierosolymis, & de Judæa, & de trans Jordanem.

(a) *Chrysostomus* super Matth. (hom. 5. in opere imperf.) Postquam baptizatus est Dominus à Joanne in aqua ducitur à Spiritu in desertum, ut baptizaretur igne tentationis: unde dicitur: *Tunc Jesus ductus est in desertum à Spiritu.* Tunc, scilicet quando Pater clamavit de cælo, *Hic est filius meus dilectus.* *Chrysostomus* in hom. 13. Quisquis ergo post baptismum majores sustinet tentationes, non turberis: etenim propter hoc accepisti arma, ut non vaces, sed ut prælieris. Ideo autem tentationem à te Deus non prohibet, primum quidem, ut discas quoniam multo factus es fortior; deinde ut magnitudine donorum non extollaris; tertio ut diabolus experientia cognoscat quod perfecte ab eo abscessisti; quarto ut per hoc fortior reddaris; quinto ut crediti tibi thesauri signum accipias: neque enim diabolus superveniret tibi ad tentandum, nisi te in majori honore effectum videret. *Hilarius* (can. 3. in Matth. fere in princ.) In sanctificationis enim maxime diaboli tentamenta grassantur, quia victoria ei est magis optata de sanctis. *Gregorius* in hom. (16. in Evang.) Dubitari autem à quibusdam solet à quo spiritu sit ductus Jesus in desertum, propter hoc quod subditur: *Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem.* Sed vere, & absque ulla questione convenienter accipitur ut à Spiritu Sancto ductus esse credatur, ut illuc eum suus spiritus duceret (1) ubi hunc ad tentandum spiritus malignus invenit. *Augustinus* in 4. de Trin. (cap. 13. ante med.) Cur supersum quoque tentandum præbuit? Ut ad superandas tentationes mediator esset, non solum per auditorium, verum etiam per exemplum. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 5. operis imperf. in initio.) Est autem ductus à Spiritu Sancto, non quasi minor majoris præcepto: non enim solum ductus dicitur, qui alicujus potestate ducitur, sed etiam ille qui alicujus rationabili exhortatione placatur: sicut scriptum est de Andrea, quod invenit Simonem fratrem suum, & adduxit eum ad Jesum. *Hieronymus* super Matth. (in init. Com. in cap. 4.) Ducitur autem non invitus, aut captus, sed

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) Al. quo. (2) Al. incarnatus in mundo. (3) Al. Dorohim. P. Nicolai in editione Herboldensi habet Dammain.

voluntate pugnandi. *Chrysostomus* (hom. 5. operis imperf.) Ad homines enim diabolus vadit, ut tentet eos: quoniam autem adversus Christum diabolus ire non poterat, ideo contra diabolum Christus processit; unde dicitur, *Ut tentaretur à diabolo. Gregorius* in hom. 16. Sed sciendum nobis est, quia tribus modis tentatio agitur; suggestione, delectatione, & consensu: & nos cum tentamur, plerumque in delectationem, aut in consensum labimur, quia de carnis peccato propagati in nobis ipsi etiam gerimus unde certamina toleramus; Deus vero, qui in utero virginis (2) incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit; sed ejus mentem peccati delectatio non momordit; atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus fuit. *Chrysostomus* in hom. 13. sub initio.) Tunc autem maxime instat diabolus ad tentandum, cum viderit solitarios: unde etiam in principio mulierem tentavit, sine viro eam inveniens: unde & sic per hoc etiam diabolo datur occasio tentandi quod ducitur in desertum. *Glossa* (ord. cir. init. cap. 4. Matth.) Hoc desertum est inter Hierusalem, & Hierico ubi morabantur latrones, qui locus vocatur (3) Dammain, id est sanguinis, propter effusionem sanguinis, quam ibi latrones faciebant: unde & homo cum descendisset à Hierusalem in Hierico, incidisse dicitur in latrones, gerens figuram Adæ, qui à dæmonibus victus est. Conveniens ergo fuit ut ibi Christus diabolum superaret ubi diabolus hominem sub figura superasse dictum est. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 5. in opere imperf.) Non solum autem Christus ductus est in desertum à Spiritu, sed & omnes filii Dei habentes Spiritum Sanctum: non enim sunt contenti federe otiosi, sed Spiritus Sanctus urget eos aliquid magnum apprehendere opus, quod est ire in desertum quantum ad diabolum: quia non est ibi justitia, qua diabolum delectatur. Omne etiam bonum est extra carnem, & mundum, quia non est secundum voluntatem carnis, & mundi. Ad tale ergo desertum omnes filii Dei exeunt, ut

P